




# Ottonis Arntzenii Oratio inauguralis pro Latina eruditorum lingua ...

<https://hdl.handle.net/1874/214709>

Maria d'Adda 4° 295.

OTTONIS ARNTZENII  
ORATIO  
INAUGURALIS  
PRO  
LATINA ERUDITORUM  
LINGUA,  
CUM  
GYMNASII GOUDANI MODERAMEN  
SUSCIPERET  
PUBLIC E HABITA  
PRIDIE NON. NOVEMBR.  
CIO I C CC XXXVII.



GOUDA E,  
Typis GULIELMI ET JOANNIS VAN ESCH. C I C CC

NOBILISSIMIS. ATQUE  
AMPLISSLIMIS  
VIRIS  
INCLITAE. CIVITATIS. GOUDANAE  
**MAGISTRATIBUS**  
PRAETORI. CONSULIBUS. JUDICIBUS  
ET. SENATORIBUS  
ATQUE. IN. IIS  
GYMNASII. CURATORIBUS  
PRUDENTISSLIMIS  
NEC. NON. VIRIS  
QUI. ILLIS. AB. ACTIS. SUNT  
GRAVISSIMIS. SPECTATISSLIMIS  
RELIGIONIS. LIBERTATIS  
OPTIMARUMQUE  
LITERARUM. CERTIS  
PRAESIDIIS  
QUALECUMQUE. HOC. DEVOTI. ANIMI  
MONUMENTUM  
SUMMAEQUE. OBSERVANTIAE  
EXIGUUM. PIGNUS  
L. M. Q. D. D. D.  
OTTO. ARNTZENIUS

и волнистые линии, симметрически расположенные, образуют изящные композиции. Важнейшим элементом орнамента являются геометрические фигуры: квадраты, ромбы, зигзаги, полосы, волнистые линии, симметрически расположенные, образуют изящные композиции.

OTTONIS ARNTZENII  
O R A T I O  
INAUGURALIS  
P R O  
LATINA ERUDITORUM  
L I N G U A.

---

SPLENDIDISSIME AC GENEROSISSIME PRAETOR.

NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIONI CIVITATIS  
GOUDANAEC CONSULES.

AEQUISSIMI ET SANCTISSIMI JUDICES.

GRAVISSIMI, CONSULTISSIMI SENATORES.

AMPLISSIONI SCHOLARUM EPHORI, CURATO-  
RES VIGILANTISSIMI, BENIGNISSIMI.

PUBLICARUM CERIMONIARUM ANTISTITES  
CASTISSIMI, SACRORUM LIBRORUM INTER-  
PRETES EXERCITATISSIMI.

A 3

OM-

OMNIUM SCIENTIARUM ET DOCTRINARUM  
DOCTORES CONSULTISSIMI, PERITISSIMI, A-  
CUTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, ADVENAE, QUOTQUOT AD-  
ESTIS, OMNIS ORDINIS, LOCI ET DIGNI-  
TATIS HUMANISSIMI, SPECTATISIMI.

PRAECEPTORES DOCTISSIMI, CONSORTES OPE-  
RUM ATQUE AMICI JUCUNDISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA SCHOLASTICAE JU-  
VENTUTIS CONCIO, SPES ECCLESIAE, SPES  
PATRIAE, PARENTUM AMOR ET GAUDIUM,  
NOSTRA DEHINC CURA, NOSTRAE DELI-  
CIAE.



eregrinarum linguarum peritiam  
in quovis Studiorum genere lon-  
ge utilissimam esse, unicuique il-  
larum usum ac necessitatem in-  
tuenti clarissime patet; quanta  
enim egregiorum librorum mul-  
titudine maximo suo damno Orbis Eruditus  
carere cogeretur, si molestiam istarum addiscen-  
darum subterfugiendam et detrectandam esse Viri  
Docti censerent. Certe earumdem cognitio non  
tantum homini, Studiis Politicis dedito, quod  
facile largiuntur omnes, adprime necessaria est,  
sed

## O R A T I O , &c. 7

sed Historico etiam , cui ob ingentem librorum omnis generis variorumque populorum copiam et multitudinem , omnium illorum linguae , quorum scripta perlustrare desiderat , tenendae atque intelligendae sunt. Quantum Philologis , quantum Philosophis profint , Auditores Humanissimi , vel me tacente , intelligitis. Theologo autem in conferendis variis Bibliorum versinibus , in legendis et excutiendis aliorum scriptis , in excolendo Historiae Ecclesiasticae Studio tantam utilitatem adferunt , ut omnes ejus conatus et scrutationes mirum in modum juvent atque exornent. Quod plurimis Magnorum Virorum exemplis facile comprobari posset.

Latinam tamen linguam supra alias , si unam Graecam excipias , frequentiori utilitate et quotidiano usu multum eminere apud omnes aequos rerum aestimatores , qui rebus pretium statuere sciunt , in confesso est. In primis autem illam commendat , quod , uti omnes diversarum regionum ac regnum gentes et populi vernaculis sermonibus utuntur , sic Literaria Respublica lingua potissimum Latina gaudeat atque exultet.

Cum itaque non tantum utilissima , sed homini , in literis versanti , omnino necessaria est , mihi

## O R A T I O

mihi etiam ab illo tempore , a quo primum Li-  
teris Humanioribus sedulam navare operam ince-  
perim , adeo hoc Studium et lingua placuit ac  
pellexit , ut nihil optabilius , nihil jucundius mi-  
hi evenire posse existimarem , quam si omne  
tempus , quod a Supremi Numinis benignitate  
mihi concederetur , in iis perscrutandis et exco-  
lendis confidere liceret . Certe nil aliud eligen-  
dum videbatur , quam diu feliciter in hoc Stu-  
dio et stadio , et non omnino absque utilitate  
publica , quae omnibus Bonis maximo opere cu-  
rae esse debet , decurrere liceret .

Ingratissimus sim , si umquam , cur hujus  
consilii Studiive poeniteret , me caussam habu-  
isse , aut eventum hoc meum elusisse proposi-  
tum , spemque destituisse dicerem.

Nonus jam labitur annus , quod Trajectino-  
rum Procerum benvolentia cunctis et collectis  
ad unum omnium suffragiis honorifica et lucu-  
lenta satis Statione , quod nunc etiam gratissima  
cogitatione prosequor , fuerim constitutus ; at-  
que ita munere ornatus ingenii doctrinaeque vi-  
res , si quae in me sint , periclitari et studio-  
rum tirocinium ponere cooperim . In alterum  
Parnasum aut Pindum mihi delatus videbar :

ve-

## INAUGURALIS. 9

vehementer placebat loci et amoenioris Urbis situs, ac gratissima, quibus tota cingitur, Tempe. Delectabant Necessariorum atque Amicorum, apud quos diutius manere et voluisse et potuisse, jucundi et docti sermones, ac quotidiana fere consuetudo. In primis autem laetabar favore Procerum plane singulari. Ignosce, ô Trajectum, o Virtutis Palaestra et Musarum Sacrum ! ignosce, si amplius theatrum lautae atque honestae conditioni praeferre sustineam ! Da veniam, si Amplissimorum Civitatis Goudanae Magistratum benigno de me meisque studiis judicio adsurgam, et huc Lares transferam ! Da veniam, si totum me meorum Magistratum Gymnasio et Juventutis commodo ac Studiis sollemni hoc actu dicem et consecrem !

Hoc autem ut recte et instituto Majorum fiat, in hunc ornatissimum ad dicendum locum scandi, e quo, nisi re rite peracta, sine summo dedecore regredi non licet. Cum itaque necessitatem Orationis ad Vos habendae, Auditores, mihi inpositam esse video, quid aequius, quid opportunius, meoque Muneri magis adcommodatum, quam ut hac occasione PRO LATINA ERUDITORUM LINGUA, gentium olim domina ac

B

com-

10 ORATIO

communi nationum vinculo , cuiusque sermo-  
nis inter alia docendi caussa huc sum evocatus ,  
verba faciam . Non tamen ut Vobis merces  
pervulgato circulatorum more ja&tem vel excu-  
tiā , sed ut misera et praecipitantia harum Mu-  
sarum fata retardare , et , quantum in me est ,  
averruncare sustineam ; illud enim , ut dicam  
id , quod res est , seculum vivimus , quo Romu-  
lea illa Eruditorum Hominum lingua , pessimo  
sane instituto , non tantum negligitur , sed usus  
etiam ipsius a nonnullis plane intermittitur , ut  
nisi invalescenti Artium Liberalium et solidioris  
Doctrinae corruptelae occurratur , brevi , sum-  
mo sane atque inreparabili omnium Artium ac  
Studiorum damno , nobis viventibus et videnti-  
bus , pereat atque extinguitur .

Quod cum pro viribus agere suscipio , ut pro-  
be meae tenuitatis atque infantiae in dicendo con-  
scius sum , non levi tantum timore pectus per-  
stringi , sed et gravissimo metu animum meum  
commoveri ac conturbari sentio , ut mens fere  
nec lingua officium facere sciat . Hoc autem ne-  
mini Vestrum mirum videbitur , qui cogitave-  
rit , me hoc die primum in lucem protrahi , et  
Nobilissimae huic Doctissimaeque circumstantis

co-

## INAUGURALIS. II

coronae Panegyri publice exponi ; quo fit , ut ipsa illa sollicitudo augeatur , in primis quum mecum considero , eo gravius me subire discrimen , quo Vos estis peritiores , atque ad judicandum magis instructi et adcommodati . Vereor itaque jure meritoque , ne si haec mea Oratione , inter mille curas et distractiones nata , qua muneri oblato praeludere jubeor , minus forsan exspectationi , quam de ea conceperis , responderit , ne , inquam , de mea , si qua in posterum speranda existimatione , actum et clamatum sit .

Quid itaque superest ? nisi in benvolentiae vestrae aram , quasi unicum asylum confugere , omnique animi contentione orare atque obtestari , ut mihi , ne mediocriter quidem in his rebus versato , faciles ac benignas aures praebere , meque , qui hoc demum die subito Orator evasi , hilioribus oculis vultuque ad laetitiam composto , quasi tacita quadam voluntatis adprobatione sublevare velitis . Sique alicubi me desicerem animadverteritis , id humanissime condonetis , vestroque suppleatis favore , majorem in modum rogo .

Ut autem recte atque ordine mea haec procedat

Oratio , prius ostendam , quanti ipsi Veteres , et mox aliae pleraeque gentes Romuleam hanc linguam aestimaverint : deinde , quo loco nostris temporibus versetur , quaeque ipsi insidiae struantur ab illis , qui , licet vanissimi , aliis tamen sapientiores videri cupiunt , exponam , atque in his obvia quaedam nonnullorum peccata sine ulius demonstratione aut caluminia notabo.

Latinam olim linguam armis et mercatura Romanorum in omnes fere longe lateque patentes ac dissitas terrarum partes ac regiones simul cum Imperio Romano penetrasse , atque ubique , auctis et multiplicatis coloniis ac municipiis , disseminatam atque ulterius prolatam fuisse , nemo , nisi solem de die lucere negaverit , ibit inficias. Unde statim conficimus , neminem , nisi summo suo damno , antiquis illis temporibus , hujus linguae cognitione carere potuisse. Quod ut clarissime Vobis adpareat , mecum quaeso cognoscite , quam sancte et religiose Romani suam linguam legibus atque judiciis non tantum conservarunt , sed ad exteris etiam nationes propagarunt. Nemini Romae lege agere , aut de jure apud Magistratum alia , quam Latina lingua respondere licebat. Praetores et Judices

# INAUGURALIS. 13

ces latine sententias ferre, Proconsules et Praefides, qui cum Imperio in Provincias mittebantur, edicta et mandata latine edere cogebantur. Testamenta, legata et fideicomissa latine scribi, si valerent, necessario debebant. Nec alterius sermonis usus in ullis publicis ac legitimis negotiis admittebatur. Immo quo Latinae vocis honos per omnes gentes et nationes honorabilius diffunderetur, mandatum quoque Quiritium Legatis, ut in diversarum gentium populorumque Conciliis et Senatu non alia, quam Romulea, uterentur lingua. Cicero vitio sibi datum scribit, quod publice Syracusis alia lingua verba fecisset, et apud Graecos graece esset locutus, quasi id ferri nullo modo posset. De Tiberio refert Suetonius, adeo ipsum Graeco sermone abstinuisse, ut *monopolium* nominaturus a Senatu Romano veniam prius postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset. De Claudio Imperatore idem Tranquillus narrat, ipsum honoratum et splendidum quemdam Virum, Graecae Provinciae Principem, sed Latini sermonis ignarum, non tantum numero atque albo Judicum erasisse, sed insuper in peregrinitatem redegisse. Notum est dictum Ma-

gni illius Viri Julii Caesaris , tamquam scopum , sic inauditum atque insolens verbum fūgiendum esse. Et quis denique ignorat ? Imperatorem Hadrianum ad summam usque peritiam et facundiam linguae Latinae operam dedisse.

Quemadmodum autem commercia populi-  
rum et praecipue Graecorum effecerunt , ut  
Graeci sermonis usus ad exteras et diversas gentes  
et nationes non tantum , sed ad universa Doctri-  
narum genera cum ipsis literis propagaretur ,  
sic multi Graecorum ex longo Romanae gentis  
usu et consuetudine Latinae sibi linguae cogni-  
tionem compararunt , et res Romanas , ex Latinis  
monumentis Graeco sermone conversas , in Pa-  
triae gratiam inlustrarunt . In his Dionysius  
Halicarnassus , Diodorus Siculus , Zenobius  
aliisque non ultimum obtinent locum , qui etiam  
Latinos suos Auditores , ex quibus profecerint ,  
suaque hauserint , utpote quos maximi faciebant ,  
laudare non dubitarunt . Fatetur Plutarchus , se  
jam senem Latinas literas didicisse , easque sic  
avide adripuisse , quasi diuturnam sitim explere  
cuperet . Gellius Graecos nonnullos memorat ,  
homines amoenos et literas Romanas haud incu-  
riose doctos . Alia multa exempla , Auditores

Hu-

## INAUGURALIS. 15

Humanissimi , hic enumerare possem , sed ne patientia vestra abutamur , pauca tantum producimus. Nonne Euagrius , Antiochenus Episcopus , vitam S. Antonii , ab Athanasio Graece conscriptam , in sermonem Latinum transtulisse dicitur ? Nonne Chrysanthius Philosophus Graeca non tantum , sed et Romana lingua scripsisse perhibetur ? Nonne Ammianus Marcellinus , latinus Historicus , qui sub Gratiano et Valentiano floruit , in fine libri sui Graecum se profitetur ? Nonne Macrobius Graecus habendus , tum quod nomen ipsius graecum est , tum quod Romanum se negat in Saturnalium praefatione ? Alios silentii peplo , ut temporis rationem habeamus , involvendos censemus. Taceo Eutropium , qui quamvis Historiae Romanae nobis breviarium , latine conscriptum , reliquerit , Graeciae tamen ortum , quod vel ex graeco ipsius nomine colligas , atque originem debet. Taceo Irenaeum , qui grecce et latine literis multa confignavit. Taceo Scribonium Largum , qui in operis sui , quod peregre scripsisse fertur , praefatione Latina sua scripta commemorat , quasi in primis Graeca scripsisset. Si omnia illorum exempla , qui e Graecia oriundi Latinis

ta-

tamen literis inclauerunt , memorare vellem ,  
non dico haec hora , sed dies etiam , quam-  
longus est , immo vox et latera me deficerent.

*quam-* Nec aliquis mihi objiciat non solum antiquis-  
simis temporibus , sed et Ciceronis aetate igno-  
tum fere Graecis Latinum sermonem , nec ma-  
jorem apud hos linguae Romanae , quam ipsius  
populi honorem fuisse , utpote quem barbarum ,  
hominesque barbaros nuncupare solebant. Ul-  
tro concedimus. Graeca certe iis temporibus  
in omnibus terrarum angulis et cunctis fere gen-  
tibus legebantur , Latina suis finibus , iisque  
exiguis , circumscribebantur. At , postquam au-  
ctae Imperii Romani vires et commercia popu-  
lorum Doctrinarum tandem et Literarum com-  
mercia exceperunt , linguam Graecam cum Ro-  
mana non tantum hospitium quasi contraxisse ,  
sed et perpetuo foedere conjunctam fuisse , com-  
pertum est. Communionem utriusque linguae ,  
Graecae et Latinae primus Augustus instituisse  
videtur , qui legem proposuit , ut Romani Grae-  
co , Graeci Romano sermone uterentur. Unde ,  
quemadmodum Graecorum lingua tot Studiorum ,  
Artium ac Facultatum scientiis in omnes universi-  
Orbis Terrarum partes manaverit ac celebris  
eva-

evaserit, Latina etiam lingua omnes illas Artes et Scientias, quotquot graece umquam traditae fuerunt, suo, quod ei intercedit cum Graeco sermone, commercio, quasi uno ambitu amplectitur ac comprehendit.

Nec sufficit de solis Graecis dixisse, qui Latino sermoni diligentem operam navarunt, possum nominare Viros egregios, Hispanos, Gallos, Britannos aliosque, quorum scripta exstant ubique, et diurna nocturnaque manu versantur.

Quo certe populi Romani Majestas arma sua proferebat, eo quoque linguae dominatricis porrigebat auctoritatem; callidissimi namque Romani id semper operam dederunt, ut non solum jugum, verum etiam linguam suam dominis gentibus inponerent. \* Quis, quaeso, ignorat, quanta lingua Latina incrementa ceperit, postquam Hispania Imperio paruit Romano? nonne ex hac M. Annaeus Seneca, L. Annaeus

Flo-

\* Hac politica ratione inductus Cardinalis Ricelius in Urbe atque Academia sui nominis Artes et Scientias sermone Gallico docri voluit, ut sic Linguae non minus quam Francici Imperii limites prolataret. Vid. Grotium *Append. Ep. p. 519.* Hanc autem ambitionem Romanorum aliquumque ridet du Cange in *praef.* quam *Gloss. med. Lat.* præmisit. §. XI.

## 18 O R A T I O

Florus , M. Annaeus Lucanus , C. J. Hyginus  
aliique prodierunt , quos , ut tempori Vestrae-  
que attentioni consulamus , longo ordine non  
recensemus. Nonne Gallia Viros produxit ,  
omni Latinae facundiae laude florentissimos , quo-  
rum ingenia justis laudibus extulerunt Cicero ,  
Livius , Plinius junior , Claudianus et alii.  
Quot sane hujus terrae Civitates , tot fere Ro-  
manae facundiae testes producere possum. In iis  
Burdigalam , Lugdunum , claramque istam Ro-  
manae Eloquentiae sedem Augustodunum nume-  
rare non dubitem. Britanni quoque , Auctore  
Tacito , scriptore gravissimo , postquam a Ro-  
manis , rerum Dominis , erant subacti , cum antea  
linguam illorum non tam negligere , quam  
despicere et contemnere solebant , Facundiae  
postea Romanae haud vulgarem operam nava-  
runt.

Cum autem , procedentibus temporibus , Bar-  
barorum colluvies Graeciam simul et Italiam  
inundasset , demersa prope et extincta cum Le-  
gibus Romanis lingua Latina , reperti sunt  
tandem Germani , qui animum ad Studia fle-  
ctentes , eamdem denuo excolere , et , quae tam  
diu abjecta jacuerat , in lucem protrahere coe-  
pe-

## INAUGURALIS. 19

perunt, ac Viris Eruditis, qui Antiquitatum atque Historiarum Studio et Jūrisprudentiae operam dabant, multum utilitatis attulerunt, gratumque lumen et facem praetulerunt. Nec parum, his rerum mutationibus, ad linguae Latinae decus atque emolumentum Ecclesiae Romanae Auctoritas contulit. Haec enim ut effigie quadam jurisdictionis atque Imperii mores suos a moribus Graecorum ritibusque discerneret, Romanam linquam, quasi suam, prae omnibus reliquis praeferre, et in fastigio quodam collocare sustinuit. Ut, quo latius Imperii Romani potestas serperet, eo altius Latini sermonis dignitas excelleret. Negare tamen non possumus, pulcerimam hanc linguam in sequentibus temporibus stupida ac supina Monachorum socordia atque ignorantia misere fuisse deturpatam et contaminatam.

Ex omnibus illis quae hactenus disputavimus, meridiana ni fallor, luce clarius paret, quanto opere Graeci non solum et Romani, sed sub Imperatoribus quoque tot aliae gentes in Eloquentiam et Latini sermonis nitorem incubuerint, utpote pro quo labore et Studio sibi suaequae Patriae uberrimos reportabant fructus; praeter-

## O R A T I O

quam enim illa commoda , quae rudi penicillo depinximus , jam tum Viri Eruditissimi optime intelligebant , Latinam , cum Graecae in primis linguae cognitione conjunctam , omnia illa in se continere ac comprehendere , quae ad decus et laudem veramque Doctrinam comparandam faciant , atque ex illis solis ista omnia hauriri posse , quae aliquem in fastigio Eruditionis ac Dignitatis constituere et collocare possunt.

Sed unico mihi exemplo , quo magis id , quod diximus , firmetur , rem ipsam inlustrare liceat. Videamus , si placet , quantum utilitatis et commodi vel soli Jureconsulti ex literarum Latinarum cognitione capiant , domumque reportent. Intelligitis , vel me silente , nec Digesta , quae vastam variamque Eruditionem continent , omniaque quasi in unum congregata recipiunt ; nec aequissimum illud Imperialium Constitutionum aerarium , Codicem nempe Justinianeum ; nec denique Novellas , novissimas Justiniani Leges a quoquam recte intelligi aut explicari posse , nisi qui haud spernenda et minime vulgari Humaniorum Literarum , et Latinae in primis linguae cognitione inbutus est. Quis , obsecro , Quiritium Leges , Constitutiones Principum ; Prae-

## INAUGURALIS. 21

Praetorum Edicta , Plebis scita , Jureconsultorum Responsa , aliasque magnificas vastissimi illius Juris et Corporis Oceani partes animo comprehendere atque aliis utilitati esse possit , nisi qui Civitatis , in qua latae sunt , Leges et Regiminis formam non tantum , sed in primis linguae , qua conscriptae sunt , notitiam sibi et scientiam paravit.

Nec est , quod mihi creditis , Auditores Humaniss. at credite Viris famae atque Eruditionis laude inter Jureconsultos florentissimis. Credite Cujacio , at quanto Viro ! Antonio Augustino , Hottomanno , Menagio , Schultingio , Bynkershoekio aliisque , qui Jurisprudentiam , stolidis et barbaris glossis turpiter saepe ac foede contaminatam et depravatam , deterso situ ac squalore , ope atque auxilio Elegantiorum Literarum , et in primis meliori Latialis linguae cognitione splendori fere atque integritati restituerunt.

Firmum itaque fixumque maneat , neminem in Literis recte atque ordine versari posse , nisi qui Consularis hujus linguae notitiam , multo etiam labore , diurnis nocturnisque lucubrationibus sibi adquisiverit. Quamobrem nihil

## O R A T I O

agunt, ideoque haudquaquam audiendi, qui eamdem, et forte majorem, utilitatem de vernaculis linguis sperari posse joculari audacia contendunt. Aliter, scio, sentirent hi perversae sententiae atque ignaviae addicti Patroni, si satis perpendere possent, nullam his diurni Imperii adfulgere Majestatem, nullam inventorum Dignitatem, nullam denique Auctoritatem.

Sed excutiamus horum hominum argumenta et rem ab ipsis primordiis paullo altius deducamus. Quam primum nempe post renatas Literas Romana lingua ex tenebris, in quibus defossa jacuerat, caligantibus adhuc oculis lucem primum adspicere coepit, in Gallia statim atque Italia aliisque terrarum oris studiosi Viri existiterunt, qui ut sermonem Patrium purgarent atque expolirent, laudabilem sane in hanc rem operam contulerunt, quo evenit, ut inter illos, qui veterem Quiritium linguam ad pristinum nitorem reducere conabantur, aliosque, qui potius vernaculum sermonem excolendum putabant, contentiones et lites de Dignitate ac Praestantia linguarum nascerentur. In Italia quidam reperiebantur, qui pro Italorum, alii, qui pro Latino sermone certabant. Non omnes utriusque linguae ele-

gan-

gantiam et lepores adquirere poterant. Quamobrem ut quisque tempus in altera illarum collocaverat, ita pro hac aut illa loquebatur omnibusque viribus contendebat. Quidam nullam viliorem et putidiorem lingua Latina esse inani strepitu et clamore vociferabant, linguamque Italicam illa longe digniorem esse maximoque intervallo eamdem post se relinquere non sine pertinacia adfirmabant. Contra antiquae et purioris Latinitatis Patroni indignum facinus esse merito judicabant, filiam non satis castam, Italorum nempe linguam castissimae atque elegantissimae Matri, Romanorum sermoni, praeferri. At, ut, quod sentio, dicam, quidque de hac similibusque controversiis, quae ad dignitatem cuiusdam linguae aestimandam faciunt, habendum sit, istas nullius fere momenti, et quasi de lana caprina esse judico. Si enim ad naturam atque indolem linguarum animum advertere velimus, facile comprehendemus, aequam inter se linguis omnibus esse dignitatem, quoniam omnibus et singulis mentis nostrae sensa et cogitata cum aliis communicare possumus. Quamobrem videndum erit, quem finem ac scopum inscribendo seu sermone quodam utendo sibi quis consti-

stitutum habeat : quod si hominibus plebejis, literarumque Romanarum omnino ignaris ac rudibus consulere , et per vernaculae alicujus linguae usum aliorum magis utilitati et commodo inservire queat , nullus Vestrum , credo , dubitaverit , quin vernaculam quamcumque merito Latinae praferendam esse existimaverit. Sin vero talia erunt scribenda literisque consignanda , quae ad Remp. Literariam Virosque Doctos pertineant , una procul dubio lingua Latina adhibenda , et reliquis omnibus tantum anteponenda , quantum universis antiquitate atque amplitudine sua , qua Viris omnium terrarum Eruditis communis est , praecellat.

Ut vero obscura ac perversa sunt hominum ingenia , tantum saepe affectibus pravisque cupiditatibus et mentis incertae propensionibus tribuitur , ut , quid verum et rectum , quid utile ac justum sit , satis discernere nequeant , adeoque in vero linguae Latinae pretio faciendo omnem omnino modum excedant. Nonnulli eamdem tam angustis finibus ac terminis circumscribendam censuere , ut unum Ciceronem aut Livium , aut alium quemdam auctorem imitandum arbitrarentur. Alii vero , nimio Latinitatis

## INAUGURALIS. 25

tis amore et ardore abrepti , divinam immo Deorum linguam , Ipsorumque providentia quasi coelitus demissam , pronunciare non dubitarunt.

Renaſcentibus in Italia Literis statim Viri non nulli reperiebantur , qui superbo Ciceronianorum titulo ſe jactantes , fortunas linguae Latinae in eo confiſtere opinabantur , ut ne verbum quidem ſine Cicero diceretur , omnemque Eloquentiae laudem ac decus in Tulliana dictione versari judicarent. Quo fiebat , ut anxiο et religioso animo ipsius voces et formulas conquirerent , longiores etiam periodos , numerum ac ſententiarum frequentiam infelici ſane conatu adfectarent. Unde Quintilianus quoddam genuſ hominum ridet , qui ſe germanos Ciceronis jactabant , quod adamata et ſolita fere Ciceroni clauſula *effe videatur* periodum terminarent. Inter plurimos , qui hoc vitio laborarunt , fuit quidam Lazarus Bonamicus , qui nimio ſtili Ciceroniani ſtudio abreptus dixiſſe fertur : *Velle ſe potius loqui ut Cicero , quam effe Pontificem Romanum.* Magnifica ſane verba ! Quid autem ſuperstitiosa hac atque anxia nimis diligentia factum ? ut nempe inutiliter ſaepe bonas horas conſumeſſent ac tempus perderent , immo quatuor et plures

D

men-

menses vel uni epistolae scribendae haud aegre in-  
penderent. Alios denique tantus furor invasit, ut  
majorem laudem in hac imitatione, quam in Re-  
ligione Christiana ponendam esse temere effutire  
potuerint. Quare technica non tantum, sed Ec-  
clesiastica etiam vocabula, quasi illorum nomi-  
num poeniteret, proscribere et condemnare ausi-  
sunt. Hi Christum Servatorem et salutis nostrae  
Auctorem Patrem Patratum, Matrem Ipsius Ma-  
riam Virginem Vestalem, Spiritum Sanctum  
auram zephyri Coelestis et pro Deo Immortali  
Deos Immortales, pro Apostolis Duodecim-vi-  
ros, pro Ecclesia Civitatem vel Rempublicam  
Christianam, pro Baptismo Sanctissimum Lava-  
crum dicere in deliciis habuerunt. O pravas ho-  
minum mentes! o pectora caeca! nonne inpii-  
hi et perversi imitatores, qui plus linguae La-  
tinae quam Christianae Religioni tribuendum  
censuerunt, ipsa illa Coelestia atque ab ipso Deo  
nobis tradita Sacra despicere, et prae coeco la-  
tinitatis amore contemnere videntur? Merito  
sane stultam horum opinionem Viri Cordatiiores  
refutare, atque omnium derisi exponere conati-  
sant. Inter hos Desiderius Erasmus, Gulielmus  
Budaeus, Henricus Stephanus, Fredericus Taub-  
man-

manus, aliquique in libera Rep. servire nescientes, servilem hanc imitandi rationem acriter atque acerbe perstrinxerunt et condemnarunt, ac non unum Ciceronem aut Livium, sed alios etiam Auctores, quorum oratio castitatis ac perspicuitatis virtute ac lumine exsplendescit, ad exemplum proponendos esse docuerunt. Neque enim illi, qui Principatum Eloquentiae tenuisse creduntur, ubique inter se similes adparent. Et quamvis postea laudanda horum Virorum opera Ciceronianus hicce morbus paullatim remiserit, mox tamen aliae factiones Philippica nempe et Lipsiana (exemplo fere Atticae atque Asiana tempore Ciceronis apud Romanos exortae) caput efferre, et sese undique ostentare coeperunt. Philippici planum hoc atque apertum Philippi Melanchtonis dicendi genus, Lipsiani pressam istam, atque a Veteribus remotiorem Justi Lipsii, laudis ac notitatis avidioris, dicendi rationem consecabantur. At peccant meo judicio, qui hanc imitandi servitutem a se vel aliis exigunt, atque ingeniis, quae sine libertate stupescunt, vincula injiciunt. Verum ne refutandis his tempus inutiliter teram, dicam, quod sentio: Hi Imitatores, servum pecus, simiis comparandum videntur, quae licet

D 2

ho-

comparanda <sup>putas</sup> lego, aut si non hoc  
 mutari vis, saltem videntur in  
adictum

non est ge-  
 adject. *Ad*  
*Opamul*  
*pecus*  
*pomi* *s.*  
*Coco* *Cic*  
*B. c. 2. a*  
*praedia*  
*Ture* *sh*  
*apud* *Hlo*  
*lib. 1. ep*

hominibus quam cetera animalia multo sint simiores, tauro tamen vel leoni tantum dignitate cedunt, quantum illorum facies honestior est ac fortior. Ut itaque his hominibus minime invidemus, sic alios, his non multum dissimiles, miramur, quorum nimius latinitatis amor adeo mentis oculos praestrinxit, ut caeca quadam cupiditate plane caecutiant. Hi anilibus suis narrant deliriis, tantam Latini sermonis esse dignitatem, ut Coelites Majorumque Gentium Dii hac lingua inter se agant et loquantur. Hi summa cum confidentia dicere non dubitant, gloriam latine et eleganter scribendi inter humanos conatus omnes summum non tantum locum tenere, sed facile tueri. Ideoque vitam in ea finire, beatissimum censem. Hi, quod omnem stoliditatem superat, <sup>Tod's Manapitas</sup>. Homines hujus vitae miseriis defunctos et Beatos in Coelo latine locuturos puerilibus vere fabulis ac neniis jalicant et somniant. Sed quis non videt, homines hos pusillo admodum ac tenui ingenio praeditos fuisse; quamobrem istos ridiculo genio relinqu. Neque enim valde timendum, ne magnum aliquod damnum aut malum ab his lepidis capitulis Literatus Orbis patiatur.

Pe-

Periculosior autem et pejor illorum est sententia, qui tam sinistre et prave de lingua censent Romana, quasi non pluris in ipsa etiam Literaria Republica, quam reliquae vernaculae esset aestimanda. Audire video: quid in addiscendo difficulti hoc sermone tantum operis ac temporis frustra in posterum adolescentes consument? Nonne plurimae sunt Scriptorum in utraque Lingua, Graeca et Latina, versiones vernaculae? Nonne jam ipsi Professores et Doctores publici in splendidissimis Franciae et Germaniae Academiis Francica et Teutonica lingua utuntur, ut facilius et citius Juvenes ad speratam Studiorum mettam perveniant, et memoriam inutili sermonis Latini cognitione non adgravent? Utrumque fatemur, Auditores: Auctores Romanos et Graecos, vernaculis linguis conversos, quotidie videmus et dolemus, *Publicasque Academiarum Cathedras insuavi isto et tremendo Germanicae linguae mugitu reboare*, a Viro Summo jam notatum novimus. Francicam quoque nationem, obrogata eruditae dictionis consuetudine, integras Orationes, vernaculo suo sermone compositas, ad conciones habere, et contracto ore quasi cantitare, his temporibus novum non est. Specioso

scilicet praetextu , quod Auditores linguae Latinae minus essent intelligentes. At nesciunt boni isti Viri , qui haec nobis objiciunt , quam illa ratio , Latinos Scriptores vertendi , an dicam potius corrumpendi , publicasque ac privatas schoolas vulgaribus linguis habendi ac scribendi omnia , ad Literarum Studiorumque omnium funestam pestem atque internectionem nata et comparata esse videatur ; ut enim de versionibus taceam , quibus plerumque nitidissimis Auctoribus , Poëtis Graecis et Latinis , Oratoribus et Historicis tantum elegantiae , acuminis , splendoris , Atticaeque et Romanae urbanitatis detrahitur , quantum illorum ingenia , qui istas nobis infelici fato , ut famem repellant , versiones procurant , ingeniis suorum Auctorum infinitis parasangis sunt inferiores , quid fiet denique ? Si Viri Eruiti apud exteras gentes omnia vernaculis literis conscribere , suisque Auctoribus dictare pergent . Omnis profecto tolletur Studiorum atque Eruditionis communitas . Non Franci libros in Germaniam peregrinasve regiones , nec vicissim Germani in Franciam transmittent ; sed in cuiuscumque Civitatis bibliothecis et tabernis , tineis et blattis relicti , quasi defossi ac sepulti jacebunt .

Si

## INAUGURALIS. 31

Si quis tamen diversarum gentium Studia ac scrip-  
ta cognoscere et legere cupiat, ei tot populo-  
rum linguas addiscere necessitas inponitur, quot  
gentium inventa et cogitata perlustrare desiderat.  
Videtis itaque, quam circumspicte ac pruden-  
ter providi hi homines, et communis Erudito-  
rum Linguae criminatores partes suas agant, quum  
longam et molestam et plane inutilem operam  
linguae Latinae dari turpiter atque absurde jacta-  
re et calumniari consueverint. Juventus quoque  
extra Patriae fines non excurret, sed suis Catoni-  
bus contenta, omnem peregrinos Doctores au-  
diendi curam abjicit, et domi quieta sedebit.  
Cognoscite atque arcete, Auditores, seculi in-  
auspicatam inertiam! cognoscite tristem et de-  
plorandam socordiam, quae, nisi caveatur, om-  
nium studiorum generi decus inminueret et splen-  
dorem detraheret. Novimus equidem, quam  
pulcros, si Dis placet, praetextus his rebus a vete-  
ratoribus istis praetendi soleant. Ad partes vo-  
cant Cives honestos, Mercatores probos, sed  
linguae Latinae inperitos ac rudes. His, ajunt,  
quum forte, ut sit nonnumquam, Reipublicae gu-  
bernaculis admoventur, nihil utilius, nihil jucun-  
dius accidere posse, quam ut Patria lingua pu-  
blicae

blicae in Academiis lectiones legerentur , scho-  
laeque haberentur privatae , ne ignorare coge-  
rentur , quidquid in variarum Religionum Sacris  
et ceremoniis , quidquid in Civilium rerum ad-  
ministratione , quidquid in bellorum ac paelio-  
rum vicibus et casibus animadvertisendum Anti-  
quitas prodidit ac Posteris reliquit , quo ipsi etiam  
de caussis et periculosis Reip. casibus , ne sem-  
per aliorum suffragiis album calculum adjicere co-  
gerentur , judicare et sententias ferre queant .  
Magnum hoc veritatis et rei probandae speciem  
habet . Attamen major hic publicae utilitatis ,  
quam privatae et paucorum hominum habenda  
ratio videtur . Publica privatis bonis antepo-  
nenda . Fixum itaque et ratum sit , Literariam  
Remp. communis Eruditorum linguae vinculo  
carere nullo modo posse . Qui literas amant ,  
easque amplectuntur habere inter se debent Lin-  
guae latinae societatem et conjunctionem , ut  
vera et solida crescat Eruditio , et in dies etiam  
magis magisque ad Indos et Garamantes promo-  
veatur .

Haec jam pro summa primariae hujus ac Con-  
sularis linguae utilitate ac necessitate dixisse suffi-  
cient . Si vero jucunditatem et suavitatem ipsius  
com-

## I N A U G U R A L I S. 33.

commendare ac laudare vellem , facile initium ,  
sed finem difficilius reperiret Oratio. Voluptas  
ipsius sane tanta , quanta aliarum linguarum ,  
Graeca tamen excepta , nulla est. Praeterquam  
enim , quod modo contrahendo , modo rela-  
xando , atque ad numerorum et sententiarum va-  
rietalē flectendo , modo etiam jucundis transla-  
tionibus ac metaphoris vobumque luminibus ,  
modo proprio ac nativo verborum sensu admo-  
dum ornari ac distingui possit , habet insuper ,  
quo se exemplo Graecae linguae supra alias eve-  
hat atque extollat. In primis delectat termina-  
tionis copiosa varietas. Accedit , quod verba  
dicentis arbitratu justo quodam ordine ad nume-  
rorum atque ornamentorum rationem duci et  
componi possunt , ita ut sententia clara et di-  
stincta ab omnibus facile percipiatur , atque o-  
ratio eleganti verborum transpositione apte et  
numerose in aures influat.

Quaeret quispiam , quid ? an itaque vulgares  
linguae decore nativo et ornamentis carent ?  
Omnino , Auditores , et spe etiam illorum um-  
quam acquirendorum plane destituuntur. Nonne  
pleraeque illarum voces unica tantum termina-  
tione efferuntur ? Nonne variae ipsius adflectio-

E

nes

nes et casus , particulis praepositis , eodem fere  
sono pronunciantur ? Nonne verborum illam  
trajectionem , qua rotundus maxime numerus  
conficitur , recusant ac respuunt ? Immo quasi  
servilis conditionis essent , liberiorem excusum  
vocumque transpositionem aegre patiuntur.  
Si tamen variare nonnumquam ordinemque  
verborum ad dulcem sonum cogere volueris ,  
vix fieri poterit , quin sententiam nebulis quasi  
implicueris , atque , ut a nemine intelligi possit ,  
obscuraveris.

Si omnem Latini sermonis elegantiam ac lepo-  
rem commemorare vellem , ingens mihi cam-  
pus aperiretur. Praetereo vocabulorum et si-  
gnificationum , ne justae Orationis terminos  
excedam , copiosam multitudinem ac gratam  
ubertatem. Praetereo maximum particularum  
numerum , quae multum venustatis orationi ,  
nexumque facilem et mitem conciliant. Ni-  
mius essem , si vellem ostendere , quam com-  
mode ad omne genus orationis flecti atque  
admodum possit. Gravitate , dote sibi pro-  
pria , in oratione sublimi magnifice incedit ;  
et mire hominum commovet affectus. Sua-  
vitate sua et dulcedine in mediocri dicendi ge-  
nere

## INAUGURALIS. 35

nere nitet ac delectat. Perspicuitate denique in sermone humili ac depresso omnibus vernaculis longe praestat ac palmam facile praeripit.

Ne tamen omne Patriae et nativae linguae Studium despiceret, quod nonnullos criminaturos fore praevideo, et quasi proscribere videamus, cognoscant quaeſo, non tantum nos vernaculum sermonem, sed insuper, si ita humanae res et conditio ferrent, praeter Graecam et Romanam, primarias etiam bene moratorum et cultorum populorum linguas ad discendas censere; immo tot nominibus nos aliquem dignum judicare, quo diversarum gentium linguas callet ac intelligit. Excolant in primis Patrium sermonem, et nitore suo, quibus id volupe et commodum est, nobis commendent. Purgent eamdem et emaculent ab omni peregrinarum vocum ridicula et contagiosa colluvie ac labie. Francicas istas delicias, fictas, sed mellitas vocabulorum imagines, quibus delicatae et fastidiosae mulieres, comtuli ac bene olentes juvenes inter virgineos greges mirum in modum gaudent ac delectantur, in Patriam commigrare jubeant, ipsisque,

si ita visum fuerit , et liberales esse velint ,  
commeatum praebeant. Videant tamen , ne  
meris etiam ineptiis , novisque et ridendis or-  
thographiis , quae , quam primum natae , cum  
auctoris damno statim evanescunt , pueriliter  
tempus terant , atque operam frustra infumant.  
Videant , ne novis vocibus et verbis sesquipe-  
dalibus , ut mugire potius , quam loqui videan-  
tur , teretes popularium et delicatas aures of-  
fendant ac laedant. Caveant , ne certatim li-  
bros de rebus , vulgi et muliercularum captum  
superantibus patrio sermone edant ac evulgent ,  
atque ita Francorum rabiem et Germanorum fu-  
rorem adjuvent , abrogatoque Latinae Eruditio-  
rum linguae usu , omnem simul Doctrinam ever-  
tant. In primis caveant , ne versiones Poëta-  
rum , Oratorum seu Historicorum procurent eo  
animo , ut in Scholas Publicas protrudant , et Ju-  
ventutis Batavae Studiis damnnum inferant. Si  
enim ipsorum culpa atque inutili plane opera ver-  
siones vernaculae in literarios ludos admittantur ,  
omnis non tantum Eruditio , quae olim bene  
eductorum Hominum summa cura erat , paul-  
latim decrescit , sed insuper ingenii hoc acumen  
et dicendi elegantia cum turpi atque ingrata  
rusti-

## INAUGURALIS. 37

rusticitate , et , ne quid gravius dicam , cum  
stulta dicacitate , vocum et oris molesta petulan-  
tia , linguaeque pudenda volubilitate commuta-  
bitur.

Libenter fatemur , id quod fusius ostendimus ,  
non tantum Latinam , sed aliam quamcumque  
linguam ita comparatam esse , ut iisdem animi  
**nostri** sententiam declarare et mentis cogitata ac  
ratiocinationes exprimere atque cum aliis com-  
municare queamus . Nemini tamen vernacu-  
lis linguis scribere et famam ad seros Posteros  
propagare contigit , nisi qui sal illud **Grajorum** ,  
**Quiritiumque** urbanitatem scriptis suis inserere ,  
atque ex **Graecis** et **Latinis Auctoribus** , quasi  
perenni fonte , ad suos rivulos deducere noverit .  
Sic multi sentiunt **Viri** **praeclari** . Sic sensit etiam  
Erudita Amstelaedamensium Societas , sub sym-  
bolo nota et celebris , *Nil volentibus arduum* .  
Hi egregii **Viri** in scribendis **Comoediis** **Plautum**  
et **Terentium** , excellentes illos Romanorum **Co-**  
**micos** , imitandos sibi proposuerunt , et conti-  
nuo habuerunt in manibus . Quid ? summos  
**Vobis** ex ipsa Francica natione **Viros** nominare  
licet , Malherbium , Molerium , Boilavium , Scar-  
ronem , Menagium aliasque , qui his vestigiis

insistentes post fata superstites vivunt, semperque vivent, dum literis sua laus constet, decusque ac gloria permaneat.

Nec aliter Vos sentire, Nobilissimi et Amplissimi Viri, Civitatis Goudanae Consules et Senatores Gymnasiique Curatores Gravissimi, omnibus persuasissimum est. Commemorabilis certe Vestra de Studiis bene merendi benevolentia ac prudentia de eo neminem dubitare finunt. Quoties animo consideramus, unicam bene constitutae et conservandae Civitatis et Reipublicae rationem esse, si maxima in informanda atque erudienda Juventute adhibetur cura veraeque Eruditionis ratio habeatur, toties Vobis, Viri Amplissimi, hujus industriae et propensae in Studia voluntatis palmam deferri oportere existimamus. Non tantum enim Civium Vestrorum liberis Scholas constituistis, constitutas servastis, sed insuper, ut nova in dies incrementa capiant atque insigni magis magisque splendore coruscent ac fulgeant, summa Vestra cura, laudabilis Vestra est vigilancia. Doctorum quoque atque Eruditorum Hominum commodis, si ulli alii, Vos certe, benignissimi Proceres et Prudentes Scholarum Ephori, inservire novistis. Vos, qui omnes ipsi

Eru-

## INAUGURALIS. 39

Eruditionis ac Doctrinae partes in numerato habetis, publicam Bibliothecam, licet optime codicum et librorum amplitudine et numero sit instructa, quotannis frequenti et splendida suppellectile augere atque ornare numquam definitis. Pro hac autem cura vestra singulari, pro tantis in communem et literariam rem meritis ac studiis, gratias Vobis, Viri Amplissimi, agunt omnes Boni, habent Cives, referent Musae, Musisque dicata Posteritas.

Ut vero ad illud, quod ad me proprius spectat, beneficium, quodque in me tam liberally tam honorifice contulistis, Maecenates optimi, Scholaeque Curatores meritissimi, deveniam, pro amica Vestra de me, parvo admidum rerum usu atque experientia docto, meisque Studiis voluntate, qua me Gymnasii Vestri gubernaculis admovere non indignum censuitis, illas, quas debo gratias, quasque officii religio postulat vel agere, vel habere, nec facundiae, nec opis nostrae res est. Si vero perpetua diligentia et continua adsiduitate in partibus mihi demandatis ac creditis, si non intermissio de Scholis Vestris bene merendi studio, si fide denique et decenti observantia gratissimi

Vo-

## O R A T I O

Vobis animi memoriam profiteri , Vestramque  
in me benvolentiam compensari permittitis ,  
sancte casteque polliceor , me omnibus animi  
corporisque viribus nisurum , atque omnia factu-  
rum , ut Vobis ingenium , vitam et mores , ut  
Vobis curam et studium , adspirante Divini fa-  
voris aura , adprobare liceat , ut simul omnes  
intelligent , me si eruditione , si doctrina ab aliis  
vincar , industria tamen et bene merendi alacritate  
cessurum nemini . Hac lege itaque , hac conditio-  
ne , Viri Amplissimi , me in tutelam et cliente-  
lam Vestram accipiatis , Vestroque me in po-  
sterum , si non amore , certe benvolentia et  
studio prosequamini , etiam atque etiam rogo .

Tandem ad vos , Collegae Doctissimi , mea  
fese convertit Oratio , quos ut insalutatos dimit-  
tam , vel publici hujus Muneris , quod nobis  
commune est , societas , vel ipsa hujus diei ce-  
lebritas vetat ac prohibet . Novistis , quam pru-  
dentes ac sollicitos habeamus Magistratus et Cu-  
ratores , qui omni ope atque opera id efficere co-  
nантur , ut hujus Civitatis Juventus , cuius sum-  
mam curam gerunt , optimis Artibus ac Studiis  
instituatur atque inbuatur . Agite , Viri piae-  
stantissimi , omnes nervos in eo contendamus ,  
ut

ut Virorum Principum exspectationi , quam de nobis nostrisque laboribus conceperunt , abunde satisfiat. Cum vero jam spectata sit industria vestra ac disciplina , equidem non dubitem , quin , quod ante feceritis , in posterum etiam , conjunctis mecum viribus , fitis acturi. Mihi interea nihil antiquius erit , quam ut summa coniunctione et candore Batavo vobiscum commune munus geram. Me , quaeso , Rectorem et amicum accipite , et summa cura id operam dabo , ut nullum umquam officii aut studii genus , quod a me proficisci queat , desiderare possitis. Tollamus diligentiae ac Doctrinae vexillum , ut nova propediem Discipulorum frequentia huc advolet , et meliora in dies hoc bonae mentis Sacrarium ad Reipublicae atque Ecclesiae decus capiat incrementa.

D I X I.

ER-

## ERRATA.

- p. 8. §. 18. *lege*: collectis  
p. 16. §. 3. *lege*: quam longus est!  
p. 35. §. 2. *lege*: humili

XIV

A D  
*VIRUM DOCTISSIMUM  
CONSULTISSIMUM*  
**OTTONEM ARNTZENIUM,**  
**COLLEGAM NUPER CONJUNCTISSIMUM,**  
C U M  
**AD CAPESENDAM REGUNDI GYMNASII  
PROVINCIAM GOUDAM EVOCATUS  
TRAJECTO ABIRET.**



uem mihi bis quinos conjunxit amica per annos  
Gratia , quem fidus conciliavit amor :  
Quicum dulce fuit partiri pensa laborum ,  
Atque humeris paribus sustinuisse jugum :  
Huncine , dum portus , dum limina nostra relinquit ,  
Non ego legitimo prosequar officio ?  
Non faciam ! quid enim , quaeſo , discedere cogit ,  
Quidve parat subita praepes abire fuga ?  
Cur Themidis divae , ſacras cur Palladis arces  
Docta que Musarum templa valere jubet ?  
Eja age prisca fides tamen hoc pietasque requirit ,  
I , paucis faustum rite precator iter !  
Haec tacitus mecum dubia dum mente voluto ,  
Pectore nec ratio consiliumve stetit :  
Trajectina Tibi valde indignata Minerva  
Dic age , ſucclamat : quo meditaris iter ?  
Quo tibi Trajecti , quo nostri cura recessit ?  
Si qua tibi pietas , noster alumne , mane !

F

Quo

Quo trahis invitata moesta cum conjugi natas ?  
Et pellis patrios linquere , dure , focos.  
Audis adfines : audin' revocare parentem ?  
Hujus et obstructa respuis aure preces ?  
Cum mea blandiloquo celebrares carmine festa ,  
Spes mihi certa , meum te fore semper , erat.  
Tum mea Theffalicis haud inferiora canebas  
Moenia , finitimiis anteferenda locis.  
Nunc ingratus ais : Pallas quas condidit arces  
Ipsa colat : tellus me peregrina vocat !  
Jam Goudana meis potiora mapalia templis ,  
Et poterit Vechtam vincere Gouda meum ?  
Siccine jam patrio tibi dulcior Issala Rheno ,  
Issala limosis qui male serpit aquis !  
Proh pudor ! et pingues jam canna palustris olivas ,  
Nostraque sic vincet rura beata , palus !  
Non ibi te ad dulces cantus philomela vocabit ,  
Nec repetet jussum carmina docta nemus ;  
Sed repetens veterem stygio clamore querelam  
Turbabit numeros improba rana tuos.  
An tibi pro meritis non praemia justa peregi ?  
Carminibusque suum non stetit usque decus ?  
Nonne satis fuerat , clypei tutamine tectum  
Vatibus eximiis nomen inesse tuum ?  
Acria senserunt multi dum tela Poëtae ,  
Queis Momus meritos immeritosque petit.  
At noster timido trepidans ARNTZENIUS ore ,  
Si bene commemmini , talia dicta refert :

Par.

Parce, precor, Mater, gravibus me incendere dictis,  
Neve velis animum frangere, Diva, meum.  
Goudanam non sponte sequor, tua Numina juro,  
Tellurem, verum mea fata trahunt.  
Invitus, fateor, tua splendida templa relinquo,  
Nec magis hocce Tibi quam mihi, Palla, dolet:  
Ex intervallo, quotiens datur, ipsa revisam,  
Ni prorsus quondam me revocare lubet;  
Nam nec Hyperboreas procul hinc relegatus ad oras;  
Nec Scythicas visam Barbaricasque plagas;  
Sed Tibi vicinas, junctas Tibi foedere gentes,  
Quorum est ab longo tempore nota fides:  
Isthic magnanimo potius cum Caesare primus,  
Quam si alter Romae censem, esse velim.  
Isthic aequae Tibi, Phoebo, Musisque litatur,  
Atque frequens veniet victima, parva licet.  
Si tamen, alma, Tibi munuscula parvula fordent,  
Nec capiunt animum sacra minora tuum:  
Ipsa, rogo, facias, haec sint majora quotannis,  
Scilicet inde Tibi gloria major erit.  
His Divae auditis tandem tumida ira resedit,  
Et placido tales fudit ab ore sonos:  
Esto igitur primus, semper tibi prima juventae  
Gymnasiique salus unica cura siet.  
Arte tua cultos linguisque animisque politos  
Mittere discipulos ad mea templa velis.  
Sic primos etiam famae securus honores  
Exspecta, sic te praemia certa manent.

Nunc invade viam qua te tua fata vocarunt :  
Munus et auspiciis adgrediare bonis !  
Ecce animi plenus Noster , jamque omine laetus.  
Vela dabat ventis litora nota petens.  
Provehitur : Placidas immiserat Aeolus auras ,  
Mercurius celerem dirigit ipse ratem.  
Excipiunt Proceres lecti , summique favoris  
Certatim produnt prospera signa sui :  
Indulgentque moram faciles , dulcemque quietem ,  
Qua reparet vires , fessaque membra levet.  
Noster at assiduos suetus tolerare labores  
Non caprat lentae tempora longa morae ;  
Sed celer exsurgit , veluti Jovis impiger ales ,  
A quo magnificum nomen et omen habet :  
*Orator subitus* conscendit rostra , paratus  
Doctorum festo dicere digna choro :  
Et caussam linguae culto sermone Latinae  
Protinus acer agit , Barbariemque premit.  
Cetera quid tenui ridendus arundine cantem ,  
Quae melius nobis pagina docta dabit.  
Quin caveo , ne me celso detrudere Pindo  
Momus cum sociis , turba timenda , paret.  
At Tu , quod supereft , multumque diuque valeto ,  
Quosque meres titulis mox onerere novis !

L. M. Q. P.  
J O. F R. REITZIUS.

E L E G I A  
A D  
F R A T R E M G E R M A N U M ,  
O T T O N E M A R N T Z E N I U M ,  
C U M  
O R A T I O N E I N A U G U R A L I  
C A U S S A M L A T I N A E L I N G U A E  
A G E R E T .



*uantae molis erat, Trojam portare per undas,  
Ponere vel Latiis Numina fessa focis !  
Moenia vix parvae formaverat anxius urbis  
Romulus, Iliacos transtuleratque Deos.  
Inruit en Tatus, rigida de gente Sabinus,  
Ut ferus exiguos perderet igne lares.  
Omne statim Latium consurgit, et Itala tellus,  
Atque quatit rabida tela facesque manu.  
Scilicet ex illo Junonis inaequat ira,  
Aeneadum genetrix quo sua dona tulit.  
Non satis id fuerat Phrygios convellere turres,  
Et jaestare vias per freta longa rates ?*

*Quid, quaeso, innocui tandem meruere Quirites,  
Ut cegas toties tot mala damna pati?  
Hic Pietatis honos? hinc tot tibi culmina surgunt,  
Et frusta ingratae Numina tanta colunt?  
Quid tibi barbaries gelidas accita per Alpes,  
Vel quid cum saevo milite Brennus aget?  
Nempe casas inopis delebit flamma Quirini,  
Ut tollant nitidum marmora celsa caput.  
Non tristes casus, exhaustaque praelia dicam,  
Verterit ut magnas Rex Alaricus opes.  
Ut fera Gensericus produxerit agmina victor,  
Et diro tumidas sparserit ore minas.  
Usserit et Gothicis Totilas Capitolia flammis,  
Nomina vel factis barbariora suis.  
Diruta sic veteris sordent vestigia Romae,  
Et quae floruerant moenia, lapsa jacent.  
Quam pietas tegeret, sanctam prosternere gentem,  
(Credere fas!) placidae gloria magna Deae.  
Turpius insequitur, necdum satiata furore,  
Quidquid noluerant aspera fata mori.  
Ingenium et nitidae miseris facundia linguae  
Restat, naufragii sola tabella sui.  
Quid mihi profuerit longos certasse per annos,  
Infit, et Aeolium flectere posse Deum?  
Si seri poterunt Trojam reparare Marones,  
Clarius ut multo spargat ab igne decus.*

*Si,*

*Si, dolor ah! stygiis Julus mihi surgat ab umbris,  
Laetaque per niveis vota triumphet equis.  
Perdere fata negent liquidas ea scripta per undas,  
Nec ferat accensas nostra Megaera faces.  
Barbaries melius poterit deperdere, sensi  
Ut toties, jussis turba parata meis.  
Dixerat. Et clando serpit pede Livius ingens,  
Exstinctique jacent cum Cicerone sales.  
Negligitur rupto lacrimosa Tragoedia cultu,  
Dum torpent Calabrae dissona fila lyrae.  
Hic videt Aenias Phoebus marcescere laurus,  
Ingenuo vacuos et sine ture focos.  
Squallent tempa situ, spreta pietate, sacerdos,  
Splendida quae steterant limina, solus habet.  
Quid tibi tunc animi, quando has, Pater optime, leges  
Sustinuit regnis femina ferre tuis?  
Ad Trojam quasi non fuerat satis ante pudori,  
Quod victrix de te tanta tropaea tulit.  
Nec rabidi veteres compescet pectoris aestus,  
Quae fuerat variis saeva Minerva modis?  
Serius ut tandem discat sua regna tueri,  
Ne premat Aenidas barbarus usque Deas.  
Sic erat. In terras flectens pia lumina, mittit  
Jupiter e nitido signa serena polo.  
Ipsa etiam nimias Saturnia temperat iras,  
Tandem tot miseris exsuperata malis.*

*Ae.*

Altius ad caelum juga se Parnasia tollunt,  
 Et cingunt Clarium sidera fulva caput.  
 Oenotriis redeunt felicia tempora Musis,  
 Quisque cupid Latio doctior ore loqui.  
 Tu quoque cum doctis, Frater carissime, gaudes  
 Laetior Ausoniis invigilare choris.  
 Reliquis aetae per tanta pericula gentis  
 Rite studes priscum conciliare decus.  
 Strenuus aeternam pergas defendere linguam,  
 Sic melius laudes concinet illa Tuas.

JOANNES ARNTZENIUS.

